115

1511. d. 19. Julij.

Sigism: I. Rex Poloniæ Civibus Vratislaviens:

Famati &c. Propter obsequia et merita vra de Nobis gratia Vos Nra prosecuti sumus, et quæ ex re Vra esse putabamus, liberaliter Vobis gratificari soliti sumus. Nunc cum in jacturam Rni Nri orsi estis rem novam, nobis necessitatem imposuistis de avertendis à Rno Nro incommodis. Verisimile est, quod Regnum Nrum absque commercio Vro, et Vos vicissim absque commercio cum Nris subsistere poteritis. Indulgemus autem Vobis petentibus, ut Vri Cives a debitoribus Suis in Regno Nro debita exigant, sed eâ lege, ut qui debitorum exigendorum causâ in Regnum venire voluerint, se Ipsos Theloneatoribus et Custodibus Nris in confinijs Slesicæ repræsentent, et Literas ab Eis sui ingressûs recipiant, cum quibus Magistratibus Nris ubi opus erit se repræsentabunt. Sic quieti et securitati suæ consulent. Datum in Brzescie 19. Julij, 1511.